



## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. II. An scientia quæ in Deo est causa effectiva rerum, sit ea quæ dicitur  
simplicis intelligentiæ, vel quæ visionis appellatur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

§. III.

*Solvuntur objectiones.*

14. **O**bjicies primò cum P. Annato, in libro de scientia media: Non magis pertinet ad vim intellectivam suum objectum efficere, quam ad potentiam effectivam suum opus intelligere: Sed potentia effectiva non intelligit suum opus: Ergo nec intellectiva efficit suum objectum.

Respondeo distinguendo Majorem, & concedendo illam de vi intellectiva, quæ est merè speculativa; negando verò de vi intellectiva, quæ est eminenter speculativa & practica; huic enim convenit intelligere simul & efficere, ut patet in intellectione nostra, quæ simul habet rationem intellectionis, respectu verbi quod producit; illud enim intelligendo producit, & producendo intelligit: scientia autem libera in Deo non est purè speculativa, sed etiam practica, ut patebit ex dicendis articulo sequenti; unde non mirum si illa simul suum objectum intelligat & efficit, ac eminenti quodam modo simul habeat rationem potentia cognoscitivæ & executivæ. De quo inf. art. 4.

15. **O**bjicies secundò: Si scientia Dei esset causa rerum, non distingueretur virtualiter ab arte divina; respiceret enim creaturas ut factibiles, sicut ars in mente divina existens: Sed hoc videtur falsum, & contra communem sententiam, quæ ponit distinctionem, saltem virtualem, inter virtutes intellectuales in mente divina existentes: Ergo & illud.

Respondeo primò, non esse improbableem, scientiam Dei, quatenus formaliter practica est, & respicit creaturas ut factibiles, ne quidem virtualiter in Deo distingui ab arte divina: in nobis enim illæ virtutes intellectus distinguntur, quia scientia habetur in nobis de universalibus, ars de particularibus; prima procedit per causam, secunda verò per quandam experientiam & usum: unde cum istæ imperfectiones procul sint à Deo, & ejus scientia sit de particularibus, & ars in mente ejus existens procedat per veram causam ipsius operis; non improbabiler dici potest, scientiam practicam, & artem, in Deo nequidem virtualiter distingui, sed solâ distinctione rationis, quæ petitur ex analogia ad creaturas, in quibus illæ virtutes intellectuales realiter distinguntur. Si quis tamen velit inter illas ponere distinctionem virtualem, sicut inter alia attributa: ad probationem in contrarium, facile poterit respondere, quòd quamvis scientia practica, & ars divina, respiciant creaturas ut factibiles, non tamen eodem modo: scientia enim illas respicit ut factibiles absolute, & quantum ad substantiam operis: ars verò divina, illas non respicit ut producibiles, quantum ad substantiam, sed quantum ad modum, & quatenus sunt factibiles modò quodam artificiosò. Cætera argumenta quæ contra hanc conclusionem fieri solent, commodius proponuntur, & solvantur articulis sequentibus.

ARTICVLVS II.

*An scientia quæ in Deo est causa effectiva rerum, sit ea quæ dicitur simplicis intelligentiæ, vel quæ visio appellatur?*

§. I.

*Premittenda ad resolutionem questionis.*

16. **N**otandum primò, causalitatem divinæ scientiæ duobus modis posse considerari: nimirum  
Tom. I.

**A**rum quasi in actu primo, ut videlicet habet divina scientia virtutem causativam rerum; & in actu secundo, quoad exercitium videlicet causalitatis, & actualem productionem creaturarum.

**B** Notandum secundò ex D. Thoma quæst. 2. de verit. art. 9. ad 2. & ex Ferrariensi 1. contra Gentes cap. 62. distinctionem scientiæ divinæ, in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, non se tenere ex parte Dei, sed tantum ex parte objecti, & connotati materialis; ac proinde magis esse quandam explicationem diversarum terminationum, seu terminorum qui à Deo cognoscuntur, quam divisionem unius attributi, & unius scientiæ in plures virtualiter inter se distinctas: in quantum enim divina scientia concipitur terminari ad creaturas solùm sub ratione possibilium, non attentà ex vi hujus terminationis illarum futuritione, & existentia, simplicis intelligentiæ nuncupatur: quatenus verò non fit in sola quidditate, & possibilitate rerum, sed attingit illarum futuritionem, vel existentiam, & præsentiam quam habent, aut in mensura propria, vel in mensura superiori aternitatis, sumit denominationem scientiæ visionis.

**C** Notandum tertio, scientiam Dei liberam duplicem habere formalitatem & respectum: unum ad voluntatem Dei, & ad decretum efficax, & absolutum in quo fundatur; alterum ad objecta quæ contemplatur & videt ut præsentia, vel in propria eorum mensura, vel in mensura superiori aternitatis: secundum primum respectum quem dicit ad voluntatem Dei, & ad decretum illius, dicitur scientia approbationis; ex alio verò quem dicit ad objectum quod intuetur ut præsens, vel in mensura propria, vel in mensura aternitatis, sumit denominationem scientiæ visionis, ut docet D. Thomas locis supra relatis. Denique secundum primum respectum, scientia divina est practica, & factiva sui objecti; & secundum alium, est speculativa, & intuitiva illius, ut magis infra exponemus.

§. II.

*Quatuor conclusionibus difficultas proposita resolvitur.*

**D**ico primò, scientiam simplicis intelligentiæ esse causam productivam rerum in actu primo. Ita docet D. Thomas in hac quæstione art. 16. ad 1. ubi dicit: *Scientia Dei est causa, non quidem sui ipsius, sed aliorum: quorundam quidem actu, scilicet eorum quæ secundum aliquod tempus fiunt; quorundam verò virtute, scilicet eorum quæ potest facere, & tamen nunquam fiunt.* Et quæst. 15. art. 3. ad 2. *Dicendum, inquit, quòd eorum quæ neque sunt, neque erunt, neque fuerunt, Deus non habet practicam cognitionem, nisi virtute tantum.* Unde cum ex eodem S. Doctore hic art. 9. scientia simplicis intelligentiæ ea sit, quæ versatur circa ea quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, manifestum relinquitur, illam esse practicam, & factivam rerum remotè, in potentia, & veluti in actu primo.

**E** Probatur insuper ratione. Scientia simplicis intelligentiæ continet in se ideas rerum possibilem, & se habet sicut ars in mente artificis, antecedens voluntatem producendi opus: Atqui ars existens in mente artificis, & antecedens voluntatem producendi opus, est productiva in actu primo operum artificialium, ut docent Aristoteles & D. Thomas locis supra relatis: Ergo & scientia simplicis intelligentiæ.

D d ij

21. Confirmatur: Scientia in Deo eo modo est productiva rerum, quo illas continet: Atqui scientia simplicis intelligentiæ, in signo antecedenti decretum, ratione divinæ omnipotentiae, & idearum in mente divinæ existentium, continet creaturas in actu primo; decretum enim voluntatis divinæ non est necessarium, nisi ut moveat intellectum quoad exercitium; nam quoad speciem operis, antecedenter ad illud, est determinatus per ideas divinas in eo existentes: Ergo scientia simplicis intelligentiæ est causa productiva rerum in actu primo.

22. Dico secundo: Scientiam simplicis intelligentiæ concurrere actualiter ad rerum productionem, dirigendo remotè, & mediatè.

Probatum primò: Talis est causalitas divinæ scientiæ erga creaturas, qualis est causalitas artificis circa res artificiales, ut docet D. Thomas locis suprâ relatis: At in artifice creato, non solum concurrens imperium intellectus, quod sequitur ad electionem, sed etiam iudicium eam præcedens, quod ostendit finem & modum quò debet fieri opus. Unde idem S. Doctor in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 1. dicit quòd primò scientia artificis ostendit finem (opus scilicet artificiatum & factibile) secundo voluntas eius intendit finem &c. Ergo pariter in divino intellectu, ad productionem creaturarum, non solum concurrens imperium quod sequitur ad electionem, sed etiam iudicium, quod eam antecedit, & finem ac modum faciendi creaturas antecedens, pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ antecedit decretum; sicut imperium quod illam subsequitur, pertinet ad scientiam visionis, quæ supponit decretum, & in eo fundatur: non potest negari, juxta principia D. Thomæ, scientiam simplicis intelligentiæ, non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo dirigere Deum (remotè saltem, & mediatè) in productione creaturarum. Dixi remotè & mediatè, quia directio proxima & immediata, est ab ipso actu imperij, sicut & creaturarum efficientia, ut patet ex infrâ dicendis.

25. Probatum secundo: Non solum imperium divinum, sed etiam consilium, ad creaturarum productionem actu concurrens: juxta illud Pauli ad Ephesios 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* At consilium non pertinet ad scientiam visionis, sed ad simplicem notitiam; cum electionem præcedat ut illius regula, teste S. Thomæ 1. 2. quæst. 14. art. 1. Ergo scientia simplicis intelligentiæ actu concurrens ad creaturarum productionem, non quidem directione immediatâ, & proximâ, sed mediata saltem, & remotâ.

24. Dico tertio: Scientiam quâ Deus res omnes efficit & causat in actu secundo, non esse illam, quæ à Theologis vocatur simplicis intelligentiæ, sed eam quam visionis appellant. Ita communiter nostri Thomistæ, contra Recentiores.

Probatum primò conclusio ex SS. Patribus, Dicit enim Augustinus libro 13. Confess. cap. 38. *Nos itaque ista quæ fecisti videmus, quia sunt: tu autem quia vides, ea sunt. Et nos foris videmus quia sunt, & intus quia bona sunt. Tu autem ubi vidisti facta, ibi vidisti facienda.* Et 15. de Trin. cap. 13. *Universas creaturas spirituales & corporales, non quia sunt ideo novit Deus: sed ideo sunt, quia novit.* Gregorius 20. Moralium cap. 23. *Quæ sunt, non ab eternitate ejus ideo videntur.*

A quia sunt; sed ideo sunt, quia videntur. Et libro 32. cap. 6. *Non existentia videndo creat, existentia videndo continet. Quicquid ergo Creator non videt, essentia subsistendi caret.*

Sed inter omnes Chrysologus serm. 34. hujus divinæ visionis virtutem & efficaciam egregie & eleganter describit: loquens enim de muliere quæ sanguinis fluxum patiebatur, & exponens hæc verba Evangelistæ, *Convertus Iesus, & videns eam, sic loquitur. Iesus conversus non motu corporis, sed divinitatis aspectu &c. Vidit eam divinis oculis, non humanis: vidit ut saluti redderet, non ut agnosceret quam sciebat. Vidit eam. Donatur bonis, malis caret quem videtis Deus. . . . Vidit ergo istam Deus, quam curando reddidit sic felicem.*

B Alij etiam sancti Patres docent, Christum videndo plures infirmos, eos sanasse per suam visionem saluferam, & vivificum aspectum. Quæ de causa oculi Dei dicuntur in Scriptura *Lucidiores Sole*: sicut enim Sol vivificò luminis sui radiò, corruptibilia quæque generat; ita & Deus intuitu suo, & per scientiam visionis, cuncta producit, & conservat: iuxta illud Gregorij jam relatum, *Non existentia videndo creat, & existentia videndo continet.* Unde olim Ægyptij, ut hujus divinæ visionis efficaciam, & potentiam designarent, eam per oculum, supra sceptri fastigium existentem, figurabant; ut per hoc significarent, Dei omnipotentiam, nihil aliud esse, quàm scientiam visionis, ut innixam divino decreto, & ab illo ad agendum applicatam.

C Neque valet responso Ruisij, & aliorum Recentiorum, qui dicunt Sanctos Patres in his locis, non loqui de scientia Dei, quatenus visionis est, sed de scientia ut sic, abstrahendo ab hoc, quòd sit simplicis intelligentiæ, aut visionis; & præterea eos loqui solum de rebus necessariis, non verò de liberis. Patet, inquam, falsitas & insufficientia hujus responsionis: primò, quia Sancti Patres utuntur expressè verbis, *videre, intruere*; & similibus, quæ scientiam visionis designant, dicuntque res esse, quia videntur à Deo, ut constat ex verbis Augustini & Gregorij suprâ relatis. Secundo, idem Augustinus loquitur universaliter de omnibus creaturis, & dicit: *Universas creaturas, tam spirituales, quàm corporeas, ideo esse quia Deus novit eas*: Ergo restrictio Ruisij dicentis Sanctos Patres loqui solum de rebus necessariis, & independentibus à libertate, est prorsus ab illorum mente aliena, eorumque verbis aperte repugnat. Addo quòd, creaturarum liberarum & necessariorum, hac in parte, eadem est ratio; cum res à Deo, ejusque scientia, essentialiter pendeant.

26. Probatum secundo conclusio ex D. Thomæ in 1. dist. 39. quæst. 1. art. 1. ad 5. ubi hæc scribit: *Licet esse, & scire Dei, sint idem secundum rem, tamen scire sequitur voluntatem, ut imperatum ab ipsa: esse autem non, & ideo esse suum non subiacet libertati voluntatis, sicut scire operativum creaturæ.* Et art. 2. ad 1. *Scire, inquit, divinum respectu futurorum, est subiectum libertati voluntatis.* Sed manifestum est, quòd scientia subiecta decreto, & voluntati divinæ, eam consequens, & ab ipsa imperata, & applicata, non est simplicis intelligentiæ, sed visionis: Ergo ex D. Thomæ, scientia quâ Deus res omnes efficit & causat in actu secundo, non est illa, quæ simplicis intelligentiæ dicitur, sed ea quæ visionis appellatur.

Præterea, Cum D. Thomæ tum hic art. 8.

am quæst. 2. de veritate art. 14. proponat & dissolvat auctoritates Origenis & aliorum Patrum, quibus nituntur Adversarij, quis non videat Sanctum Doctorem non stare pro illorum sententia?

27. Probatur tertiò ratione planè demonstrativâ, impossibile est scientiam ullam ejus rei esse causam, quam non cognoscit: sicut enim dicunt Medici, *illud quod ignorat medicina, non curat*; ita & illud quod ignorat ars, vel scientia, non causat. Unde videmus quòd ars fabrilis, non facit calceum, nec furoria scamnum, nec frænefactoria clavem: quia hæc non cognoscuntur ab humilimodi artibus, nec pertinent ad illarum objectum: Atqui scientia quæ dicitur *simplicis intelligentiæ*, non versatur circa res existentes, aut futuras, nec illas cognoscit, sed tantùm scientia quæ vocatur *visionis*: Ergo hæc & non illa est causa rerum. Minor probatur: Scientia enim simplicis intelligentiæ definitur à Theologis, *Cognitio eorum quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt unquam*: è contra verò scientia visionis dicitur esse *cognitio eorum, quæ sunt, fuerunt, vel erunt*. Ita expressè docet Sanctus Thomas in hac quæst. art. 9. ubi sic habet: *Quædam licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt vel erunt, & omnia ista Deus dicitur scire scientiâ visionis. . . . Quædam verò sunt, quæ sunt in potentia Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt. & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ*. Ex quibus verbis manifestum relinquitur, secundùm doctrinam D. Thomæ, scientiam simplicis intelligentiæ, non se extendere ad existentia, vel futura, sed tantùm ad possibilia; quæ de causâ à Theologis, *scientia possibilem*, communiter appellatur; sicut scientia visionis, dicitur *scientia existentium, & futurorum*.

28. Confirmatur: Scientia simplicis intelligentiæ, & visionis, ut diximus in secundo notabili, non distinguntur ex parte Dei, sed tantùm ex parte creaturarum, & ratione diversarum terminationum, & objectorum materialium, quæ à Deo cognoscuntur: Ergo repugnat, quòd scientia simplicis intelligentiæ, ut ratione distincta à scientia visionis, se extendat ad eadem objecta materialia, & habeat eandem terminationem cum illa: unde cum, in sententia omnium Theologorum, scientia visionis sit illa, quæ Deus res futuras & existentes cognoscit, impossibile est quòd scientia simplicis intelligentiæ, ut talis est, se extendat ad illarum existentiam & futuritatem, ac proinde quòd sit causa illarum; aliàs ageret cæco modo & ignaro, quod est absurdum.

29. Confirmatur ampliùs: Juxta Augustinum libro 11. de Civitate cap. 10. *Deus non aliquid neciens fecit*: fecisset autem, si actus & scientia quæ causat rerum existentiam, & futuritatem, ad eas non terminaretur, ut ad objecta scita & cognita, sed solùm tanquam ad effectus per causalitatem productos: Ergo &c.

30. Probatur quartò ratione fundamentali. Deus producit creaturas per actum imperij, ut infra ostendemus: At imperium pertinet ad scientiam visionis: Ergo hæc est causa rerum. Minor probatur: Imperium sequitur efficacem rerum electionem in Deo, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 17. art. 1. & constat ex eo quòd imperium est actus practicus & liber intellectus: omnis autem praxis, & libertas intellectus, ex electione vo-

Tom. I.

luntatis præcedit; cum voluntas in agente intellectuali, sit primum movens, & primum liberum: Sed actus supponens efficacem electionem, & decretum voluntatis divinæ, pertinent ad scientiam visionis, & non simplicis notitiæ, ut constat: Ergo & imperium.

Probatur quintò: Scientia quæ est causa rerum, debet esse libera, alioquin res necessariò & non liberè à Deo procederent; & sic non produxisset illas in tempore, sed ab æterno. Item scientia quæ non virtute tantùm, sed actu est causa rerum, debet esse determinata, & præsupponere determinationem liberam voluntatis divinæ: ut enim dicit S. Thomas hic art. 8. *Cum forma intelligibilis ad opposita se habeat, non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum*. At scientia simplicis intelligentiæ, cum antecedit decretum voluntatis divinæ, non est libera, sed naturalis, & necessaria; neque determinata, sed indifferens ad productionem rerum: Ergo non est illarum causa in actu secundo.

Respondent Adversarij: Scientiam simplicis intelligentiæ nudè sumptam, & ut prævenit omne decretum divinæ voluntatis, non esse causam rerum; cum sub hac ratione non sit libera, sed naturalis; neque determinata, sed indifferens ad rerum productionem: illam tamen, accedente beneplacito divinæ voluntatis, & prout habet adjunctum ejus decretum, ex cujus consortio fit libera, & determinatur ad rerum productionem, esse causam illarum in actu secundo; nec eas solùm representare, ut factibiles, sed etiam influere in illarum productionem.

Sed contra primò: Cum scientia simplicis intelligentiæ & visionis (ut supra annotavimus) non distinguantur ex parte Dei, sed solùm ex parte creaturarum, & objectorum materialium, quatenus prima terminatur ad res merè possibilem, secunda verò ad existentes, & futuras; hoc ipso quòd scientiæ simplicis intelligentiæ concipitur advenire decretum, quòd res possibilem transferuntur à statu possibilitatis, ad statum futuritionis; divina scientia fit visionis, & intuitiva talium objectorum; quia ratione talis decreti, quòd transferuntur, à statu merè possibilitatis, ad statum futuritionis, fiunt realiter præsentia Deo in æternitate, ut infra ostendemus, ac proinde terminant scientiam intuitivam, & visionis. Dicere ergo quòd scientia simplicis intelligentiæ, ut habet adjunctum decretum efficacem divinæ voluntatis, sit causa rerum, est abuti terminis, & ludere in verbis, & reipsâ attribuere causalitatem, & efficientiam rerum, ipsimet scientiæ visionis.

Secundò, Vel illud decretum quòd Adversarij dicunt adjungi scientiæ simplicis intelligentiæ, & ex ejus consortio fieri liberam, & principium determinatum productionis rerum; est antecedens illarum futuritionem, & productionem, prioritate saltem naturæ, & causalitatis; vel illam solùm concomitans, aut subsequens? Primum non potest dici, iuxta illorum principia; alioquin tale decretum esset prædeterminans, cum nomine decreti prædeterminantis, nihil aliud intelligatur apud Thomistas, quàm decretum antecedens, prioritate naturæ & causalitatis, rerum existentiam, vel futuritionem. Si autem secundum vel tertium dicatur, scientia simplicis intelligentiæ, ratione talis decreti concomitantis, vel subsequens futuritionem, vel præ-

D d iij

ductionem rerum, non poterit esse causa efficiens illarum: cum nulla possit dari causa efficiens, quæ sit purè concomitans, vel subsequens suum effectum, & quæ illum non antecedit, prioritate saltem naturæ & causalitatis.

35. Tertio Adversarij communiter docent, decretum illud quod adjungitur scientiæ simplicis intelligentiæ, non esse absolutum, & efficax, saltem respectu actuum nostrorum liberorum: aliàs destrueret illorum libertatem, sed purè indifferens, & conditionatum: repugnat autem quòd scientia simplicis intelligentiæ, ut habet adjunctum decretum indifferens, & conditionatum, sit causa & principium determinatum futuritionis, vel productionis rerum: cum enim indifferens, & determinatum inter se opponantur, sicut calidum & frigidum; & aliunde scientia simplicis intelligentiæ, sit de se indifferens, & indeterminata ad futuritionem, & productionem rerum; non minùs repugnat illam, ut habet adjunctum decretum indifferens, esse principium determinatæ futuritionis, & existentiae rerum, quàm ex glacie & nive simul iunctis, fieri principium caloris: aut ex duplici voluntate, omnino indifferenti, contrahi matrimonium.

36. Denique probatur nostra conclusio. Deo, utpote perfectissimo artifice, concedi debet perfectissimus modus agendi imaginabilis, dummodo ille non repugnet: At modus producendi creaturas per scientiam visionis, multò perfectior est, & nobilior, quàm modus eas cauſandi per simplicem & abstractivam notitiam illarum; & aliunde talis modus cauſandi non repugnat: Ergo debet attribui Deo. Minor quantum ad primam partem videtur manifesta, tum quia scientia visionis clariùs attingit objectum, quàm abstractiva: tum etiam, quia visio illa quæ est eminenter formaliter speculativa & practica, & simul productiva & intuitiva sui objecti, multò perfectior est eà quæ est tantum speculativa, & intuitiva illius: prima enim est causa, & mensura sui objecti; secunda verò, ab illo mensuratur & dependet, ut infra ostendemus. Probatur verò quantum ad secundam. Si modus ille cauſandi per scientiam visionis repugnaret, vel esset ex eo quòd scientia visionis repræsentat creaturas ut de facto existentes, & consequenter illarum existentiam supponit: vel quia supponit decretum, à quo res create suam futuritionem recipiunt? At ex neutro capite repugnat: Ergo modus producendi creaturas per scientiam visionis, nullam involuit repugnantiam. Major constat, nullam enim aliam rationem repugnantiae adducunt Adversarij: Minor autem probatur. Et in primis quòd ex primo capite non repugnet, sic ostenditur. De ratione scientiæ visionis, non est supponere objectum existens, sed solum ad illud pro eadem durationis mensura terminari; ut constat in cognitione quæ Pater æternus producit Verbum, quæ intuitiva est, & visionis, quamvis non supponat suum objectum priùs existens. Item si Deus daret meo oculo vim producendi objecta, mea visio esset illorum intuitiva, quamvis illa non supponeret priùs existentia. Quòd autem non repugnet etiam ex alio capite, probatur. Licet enim decretum efficax divinæ voluntatis sit causa futuritionis rerum, quia tamen se solò non cauſat, sed simul cum alijs quæ antecedunt & subsequuntur, inter quæ præcipuè est imperium divini intellectus, à quo proximè & immediatè procedit creaturarum productio, ut

A ostendemus art. 4. hoc non impedit, quin scientia visionis possit esse & sit de facto principium proximum, & immediatum futuritionis rerum: quia ut dicemus in solutione argumentorum, ex vi divini decreti, res non constituuntur completè futuræ, & in ordine executionis; sed tantum incompletè, & in ordine intentionis; ac proinde ad complementum futuritionis, potest mediare scientia visionis.

Dico quartò: Scientia visionis, quatenus formaliter visionis est, non est causa rerum, sed solum quatenus est approbationis, & applicata per decretum efficax divinæ voluntatis. Ita docet Alvarez libro 1. responſionum cap. 6. & alij Thomistæ communiter.

B Probatur primò ex S. Thoma hic art. 8. in fine corporis, ubi dicit: *Scientiam Dei esse causam rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam, & prout consuevit nominari scientia approbationis.* Quòd nihil clariùs & expressius in favorem nostræ conclusionis dici potest.

Probatur secundo: Scientia Dei (ut art. 4. ostendemus) producit creaturas per actum divini imperij: Sed imperium non habet vim & efficaciam agendi à cognitione & directione intellectus, sed à motione, & applicatione voluntatis, quæ est primum movens in executione, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 17. art. 1. in fine corporis, his verbis: *Primum movens in viribus anime ad exercitium actus est voluntas: cum ergo secundum movens non moveat nisi in virtute primi moventis, sequitur quòd hoc ipsum quod ratio movet imperando, sit ei ex virtute voluntatis.* Ergo scientia Dei non producit creaturas, nisi ut applicata per decretum efficax divinæ voluntatis: quæ ratione scientia beneplaciti seu approbationis appellatur.

Probatur tertio: Sicut enim licet intellectus & dictio sint unica actio intellectus, quæ simul est productiva verbi, & contemplativa illius; illa tamen, quatenus est pura objecti contemplatio, & ut loquuntur Philosophi, quatenus est *in esse quies*, non est productiva verbi, sed supponit illud priùs naturæ, & ratione factum à seipsa, quatenus est dictio, ut explicari solet in libris de anima. Ita similiter, quamvis scientia approbationis & visionis, unica sit scientia in Deo, omnino indistincta, quæ secundum diversos respectus quos dicit, vel ad decretum quod supponit, vel ad objectum quod intuetur, diversa illa nomina sortitur, ut exposuimus in tertio notabili: illa tamen, quatenus formaliter visionis est, & prout consideratur, ut purè intuitiva, & contemplativa sui objecti, non est causa rerum, sed eas supponit in aliquo priori naturæ & rationis, factas & productas à seipsa, quatenus est practica, & approbationis. Et in hoc (ut rectè annotavit Alvarez loco citato) contingit gravis hallucinatio, & æquivocatio apud Suarezem, Vazquem, Ruizium, & alios Recentiores, qui in vanum tot argumenta accumulunt, & multiplicunt, ad probandum quòd scientia Dei, in quantum præcisè & formalissimè visionis est, non potest esse causa efficiens rerum; hoc enim nullus Thomistarum unquam somniavit: nam illi solum continent, scientiam visionis, quatenus est approbationis, & applicata per decretum efficax & absolutum divinæ voluntatis, esse causam rerum; easque producere per actum imperij, formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem, ut antea declaravimus.

40. Denique suaderi potest conclusio ratione evidenti. Si scientia visionis, reduplicativè quatenus visionis est, esset causa rerum, Deus esset causa peccatorum, non solum quantum ad entitatem quam de materiali includunt, sed etiam quantum ad malitiam & deformitatem quam de formali important: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud. Sequela Majoris est evidens: Nam scientia visionis, quæ visionis est formaliter, attingit peccata quantum ad malitiam & deformitatem quam important, eum illa sub hæc ratione sint præsentia Deo in mensura suæ æternitatis: Ergo si scientia visionis, reduplicativè quatenus visionis est, esset causa rerum, Deus esset causa peccatorum, non solum quantum ad entitatem quam de materiali includunt, sed etiam quantum ad malitiam & deformitatem, quam de formali important: unde ut vitetur hoc inconveniens, dicendum est, scientiam visionis, quatenus formaliter visionis est, non esse causam rerum, sed solum quatenus est libera & approbationis, ac per decretum efficax divinæ voluntatis applicata.

## §. III.

*Solvuntur argumenta ex autoritate Divi Thomæ petita.*

41. Objiciunt primò Adversarij: D. Thomas hic art. 8. dicit, *Scientiam Dei esse causam rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam*: At scientia Dei, ut habet conjunctam voluntatem, non est visionis, sed simplicis intelligentiæ: Ergo scientia quæ Deus res efficit & causat, non est ea quæ visionis dicitur, sed illa quæ simplicis intelligentiæ appellatur. Item in eodem articulo docet, quòd illa scientia est causa rerum, quæ cum de se sit indifferens ad opposita, ex determinatione voluntatis producit determinatum effectum: Sed scientia visionis non se habet ad opposita, neque indiget determinari per voluntatem, siquidem in ipsa determinatione voluntatis fundatur: Ergo non est causa rerum. Præterea idem S. Doctor quæst. 2. de veritate art. 14. in corpore, & ad 2. expressè docet quòd res non sunt à Deo per scientiam, sed per libertatem voluntatis. Idem habet in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 1. Denique quæst. 6. de veritate art. 3. in corpore ait, *Præscientiam Dei non importare universaliter habitudinem cause respectu eorum quorum est*: Ergo ex D. Thomæ divina præscientia non est causa rerum.

42. Ad primum locum D. Thomæ respondeo, concessa Majori, negando Minorem; ut enim dicit S. Doctor quæst. 3. de veritate art. 3. ad 8. *Scientia Dei simplex notitia dicitur, ad excludendam admixtionem ejus quod est extra genus notitiæ: sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis, vel ordo voluntatis ad res scitas producendas, quem addit scientia approbationis*. Unde secundum doctrinam D. Thomæ, scientia Dei, ut habet voluntatem adjunctam, & prout attingit existentiam rerum, non est simplicis intelligentiæ, sed approbationis, & visionis.

43. Ad secundum dicendum, quòd quando D. Thomas docet, quòd forma intelligibilis quæ secundum se est indifferens, non causat nisi adjuncta determinatione voluntatis, per hoc non excludit, quin ex determinatione voluntatis, adjuncta divinæ scientiæ, resultet in Deo scientia visionis, quæ ut est practica, & approbationis,

A per actum imperij immediatè exequatur rerum productionem. Imò cum in eodem articulo in resp. ad 1. explicando verbum Origenis, expressè doceat quòd res sint futuræ ex eo quòd sciuntur à Deo, non obscure indicat scientiam illam, quæ attingit futuritionem rerum (quæ utique visionis est, & non simplicis notitiæ) esse causam illarum.

Ad tertium responderetur, quòd quando D. Thomas dicit res non esse à Deo per scientiam, sed per libertatem voluntatis, solum intendit, quòd scientia Dei, non est causa rerum, ex eo præcisè quòd sit scientia, sed ex consortio, applicatione, & motione voluntatis divinæ, à qua, ut supra diximus, procedit omnis virtus, & efficacia causandi, quæ est in actu imperij, quò scientia visionis immediatè producit creaturas.

Ad ultimum dicendum est, quòd quando S. Doctor ait, *Præscientiam Dei non importare universaliter habitudinem cause respectu eorum quorum est*, solum intendit eam non esse causam malorum, & peccatorum, quæ videt & præscit. Propterea addidit particulam, *universaliter*: unde potius ex hoc loco inferendum est, præscientiam divinam esse causam aliquorum, nempe bonorum.

## §. IV.

*Alia objectiones solvuntur.*

Objicies secundò: Scientia visionis præsupponit res ut existentes, & factas à Deo: Ergo non est causa rerum. Consequentia patet, nulla enim causa præsupponit suum effectum. Antecedens verò probatur multipliciter. Primò ex Scriptura: dicitur enim Genesis 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Vbi illud verbum, *vidit*, non potest nisi de scientia visionis intelligi, & verbum, *fecerat*, satis indicat illam visionem, supposuisse res jam factas, & existentes.

Secundò, Scientia intuitiva supponit suum objectum, jam factum, & existens, cum impossibile sit videre & intueri ea quæ non existunt: Sed scientia visionis est intuitiva: Ergo supponit res jam existentes & factas à Deo.

Tertiò, Scientia Dei se habet sicut scientia artificis, ut sæpe docet D. Thomas: Sed scientia artificis non fertur intuitivè in artefactum, nisi postquam factum est, non verò dum fit & ordinatur: Ergo etiam scientia visionis, non fertur in res, nisi ut factas & existentes.

Quartò, Scientia quæ subsequitur decretum, & voluntatem efficacem de futuritione rerum, est posterior illà; cum per tale decretum res ponantur extra statum mere possibilitatis, & fiant determinatè futuræ: Atqui scientia visionis subsequitur decretum efficax, & absolutum, & in illo fundatur: Ergo est posterior futuritione rerum.

Respondeo primò, Hæc argumenta solum probare, scientiam visionis, quatenus formaliter, & reduplicativè visionis est, non esse causam rerum; cum sub hac ratione illas præsupponat, in aliquo priori naturæ & rationis factas à seipsa, prout est practica, & approbationis; ea tamen id non ostendere de scientia visionis, sub ea ratione quæ practica est, & approbationis. Quare hæc, & similia argumenta, ne leviter quidem attingunt sententiam Thomistarum; sed sponte sua liquefcunt, & in fumum & auras

evanescent: ut supra cum Alvare annotavimus. Ut tamen magis appareat illorum debilitas ac insufficientia.

48. Respondeo secundò, negando absolute Antecedens principale. Ad ejus primam probationem dicendum est, quòd quando dicitur in Scriptura, Deum vidisse creaturas jam factas, hoc debet intelligi de scientia visionis, quatenus est conservativa creaturarum; sub hac enim ratione supponit illas factas, & existentes, non verò quatenus est creativa, & factiva illarum; sic enim illas non presupponit, sed facit.

49. At secundam probationem ejusdem Antecedentis, distinguo Majorem. Scientia intuitiva supponit suum objectum, jam factum, & existens: quando est merè speculativa, concedo. Quando est eminenter speculativa, & practica, nego. Vel secundò distinguo, scientia intuitiva quæ mensuratur à rebus, concedo. Quæ est mensura rerum, nego. Scientia autem visionis, quæ est in Deo, non est purè speculativa, sed etiam practica; nec mensuratur à rebus, sed est illarum mensura, ut docet D. Thomas hic art. 7. ad 3.

50. Confirmatur & illustratur hæc doctrina, & responsio pluribus exemplis. Primum sumitur ex Myserio Trinitatis, in quo Pater æternus, videndo Filium, ipsum producit, & ipsum produciendo videt: unde quamvis talis cognitio sit intuitiva, non supponit tamen suum objectum productum, & existens, sed potius illud producit. Item si visio oculi mei, lumen aut colorem ex se funderet, ut Sol lumen suum, non supponeret colorem, aut lumen, sed faceret, & videndo illuminaret, ac illuminando videret. Docent etiam Philosophi in Logica, intellectum humanum cognoscendo entia rationis, illa efficere; ac proinde eandem intellectionem simul esse cognoscitivam, & factivam entium rationis. Sicut ergo homo entia rationis per intellectum format, ita etiam Deus per suam scientiam practicam, cuncta entia realia creat, & conservat; & in hoc apparet mira fecunditas, & efficacia divini intellectus, ejusque scientiæ practicæ. Denique docetur in libris de anima, quòd intellectus noster, cognoscendo aliquam rem, producit ejus verbum; & eadem actione, quâ illud producit, illud etiam videt, & contemplatur: eademque actio intellectus, simul habet rationem dictionis, & intellectionis. Cur ergo idem non poterit dici cum proportione, de scientia visionis? Et cur illa non poterit similiter esse eminenti quodam modo, speculativa simul & practica, & intuitiva, ac simul factiva sui objecti?

51. Ad tertiam probationem Antecedentis principalis, dicendum est, scientiam Dei practicam, convenire in aliquo cum scientia artificis creati, & in multis ab illa differre: conveniunt enim in hoc, quòd utraque concurret ad opus, non solum directivè, sed etiam effectivè, ut constat ex supra dictis; differunt verò primò in eo quòd artifex creatus, non operatur nudo & solo imperio, neque in instanti, sed cum mora temporis, & cum applicatione activorum, & passivorum. Ex quo fit, quòd ejus scientia, non potest intuitivè ferri in opus, dum actu fit, sed solum postquam factum est: Deus autem producit res in instanti, & per solam dictionem, & actum imperij, ut dicemus art. 4. nec indiget applicare activa passivis, sed educit res ex nihilo: unde ejus scientia practica, potest in eodem instanti quòd operatur, intuitivè ferri in creaturas quas produ-

cit. Secundò differt scientia Dei, à scientia artificis, in eo quòd scientia artificis, post factum opus, est purè speculativa; quia artefactum dependet ab ea tantum in fieri, non autem in conservari: at verò res omnes creatæ, à scientia Dei practica dependent, non solum in fieri, sed etiam in conservari, iuxta illud magni Gregorij supra relatum: *Non existentia videndo creat, & existentia videndo continet.* Unde scientia Dei respectu creaturarum, semper manet eminenter formaliter speculativa & practica, non tamen scientia artificis, respectu artefactorum.

Ad ultimam probationem principalis Antecedentis, respondeo negando Majorem: ad ejus probationem dicendum est, quòd licet ratione divini decreti, res sint futuræ inchoativè, & incompletè, non tamen totaliter & completè; quia (ut infra ostendemus) principium immediatè productivum rerum, & potentia executiva in Deo, non est ejus voluntas, sed intellectus practicus, qui producit res ad extra, per actum imperij formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem. Unde donec talis actus imperij sit & intelligatur in Deo, nondum intelligitur causa totalis & completa productionis, & futurationis rerum, sed inchoativa duntaxat, & incompleta.

#### §. V.

C *Diluntur alia argumenta adverse sententia.*

O bjiciunt tertio Adversarij: Sancti Patres nostram in agendo libertatem non ledat, utuntur interdum similitudine visionis nostræ, quæ in ea quæ cernimus nihil influit, & non causat, sed tantum intuetur res quæ sibi objiciuntur: Ergo secundum doctrinam Sanctorum Patrum, si scientia visionis sit practica, & causa actuum nostrorum liberorum, destruet illorum contingentiam, & libertatem: erit enim quædam suppositio antecedens nostris actibus liberis, quæ secundum doctrinam Anselmi, non potest cum libertate coherere.

D Respondeo primò: Similitudinem hanc visionis nostræ, in ea quæ cernimus nihil influentis, quâ interdum utuntur Sancti Patres, & in qua maximam vim faciunt Adversarij, sententiam illorum nihil planè iuvare; quia si hæc comparatio valeret contra nos, valeret etiam contra illos, & probaret Deum, nequidem scientiæ simplicis intelligentiæ, causam esse actuum nostrorum liberorum; eamque esse merè speculativam, & intuitivam sui objecti: aliàs libertatem voluntatis nostræ destrueret.

E Respondeo secundò: Similitudinem hanc visionis, & oculi corporei, quâ interdum utuntur Sancti Patres, popularem esse, & ad vulgi caput accommodatam; & eâ solum intendere declarare, scientiam visionis in Deo, non esse obscuram & enigmaticam, sicut est cognitio Prophetarum; sed claram & intuitivam, sicut visio oculi corporei; eamque non plus detrahere de libertate nostrâ, quàm visio quâ cernimus aliquem liberè operantem. Cum enim Deus per scientiam visionis operetur omnem ens, omnesque modos entis, de quorum numero est libertas nostrarum actionum, & contingentia rerum; tantum abest quòd destruat libertatem, & contingentiam rerum, quin potius illam ponat, tueatur, ac conserve, & faciat ut actiones humanæ, non solum sint, sed etiam contingentes & liberæ sint.

Ad

36. Ad illud quod dicitur in contrarium, in primis responderi potest falsum esse principium illud Adversariorum, quod scilicet omnis suppositio antecedens tollat libertatem. Nec unquam id dixit Anselmus, sed solum quod necessitas antecedens, sive suppositio quæ oritur à causis naturalibus, & necessariis, qualis est ortus Solis (quo exemplo ipsemet Anselmus utitur) tollit libertatem.

Addo quod si hoc principium esset verum, tolleretur libertas in sententia Adversariorum, illi enim docent scientiam simplicis intelligentiæ, ut habet adjunctum decretum, esse causam rerum, ac proinde actuum nostrorum liberorum, & consequenter aliquam suppositionem illos antecedentem; omnis enim causa debet esse prior suo effectu, prioritate saltem naturæ & causalitatis: Ergo si verum sit, quod omnis suppositio antecedens tollat libertatem, manifestum est, ex sententia Adversariorum, sequi excidium, ac destructionem libertatis.

37. Respondeo secundo, Quod licet suppositio antecedens, quæ non oritur à primo libero, & quæ non descendit à primo principio, & à prima veluti radice libertatis, eam tollat & destruat; secus tamen si descendat à primo libero, & à prima libertatis radice procedat: scientia autem visionis, cum supponat decretum, quod est prima radix, & primum principium libertatis creatæ, & participatæ; & quod attingit non solum substantiam, sed etiam modum libertatis & contingentie in nostris operationibus, est aliqua suppositio descendens à primo libero, & procedens à prima libertatis radice; ac proinde non tollens, sed causans libertatem & contingentiam in rebus. Sed de hoc fusè in Tractatu de prædestinatione.

38. Objicies quartò: Eâ scientiâ Deus producit creaturas, quâ constituitur in actu primo agens, cum eadem virtus quæ actum primum ponit, debeat in secundum prodire: Atqui scientiâ simplicis intelligentiæ Deus habet actum primum, seu potentiam ad creaturas producendas: Ergo ab illa, non à scientia visionis, debet prodire operatio, quâ creaturæ fiunt.

39. Respondeo negando Majorem, quia scientia quæ est causa rerum in actu secundo, debet esse libera, scientia verò quæ illas continet in actu primo, & quâ Deus constituitur in actu primo agens, necessaria est: si verò illi addatur decretum, per quod fiat libera, à scientia simplicis intelligentiæ, transit in scientiam visionis, seu approbationis, & beneplaciti.

Addo quod, si hoc argumentum aliquid valeret, probaret productionem creaturarum ascribendam esse potius voluntati Dei necessariæ, quàm liberæ, cum voluntas Dei ut necessaria, habeat primum actum, seu potentiam producendi creaturas, juxta Vazquem, & alios Recentiores qui existimant potentiam executivam in Deo, non esse intellectum, sed voluntatem. De quo infra.

Art. 4. 60. Objicies ultimò: Si scientia Dei libera, quæ visionis appellatur, esset causa rerum, esset etiam causa peccatorum, cum ad illa etiam se extendat, & ea clarè & intuitivè cognoscat: Sed hoc est impium, & blasphemum: Ergo scientia visionis non est causa rerum.

Respondeo negando sequelam, ut enim supra conclus. 4. ostendimus, scientia Dei libera, non est causa rerum, quatenus formaliter visionis

Tom. I.

A est, sed solum quatenus est approbationis: Deus autem non cognoscit peccata per scientiam liberam, quatenus est approbationis, sed solum quatenus est visionis: quia illa nullum supponunt decretum positivum in Deo, quod velit, & approbet illorum existentiam, vel futuritionem; sed permissivum tantum, quod vult permittere eorum malitiam, & deformitatem; & sic scientia visionis, quamvis sit causa rerum, non tamen est causa peccatorum, ut patet ex dictis in ultima probatione quartæ conclusionis.

ARTICVLVS III.

B An ideo res sint future, quia sciuntur à Deo, vel ideo ab illo sciuntur, quia future sunt?

R Esolutio hujus difficultatis pendet ex dictis articulis præcedentibus, & ideo breviter ab illa nos expediemus conclusione sequenti.

§. I.

Vera sententia statuitur.

Dico igitur, hanc propositionem, *Ideo res sunt future, quia sciuntur à Deo*, esse veram in sensu causali; & istam falsam: *Ideo res ut future cognoscuntur à Deo, quia future sunt*; ly quia dicente rationem in essendo, & causam formalem, aut virtualem. Ita communiter nostri Thomistæ, quibus ex Patribus Societatis novissimè se adjunxit Claudius Typhanius in libro de Ordine, deque priori & posteriori, cap. 34.

61. Probatur primò ex Sanctis Patribus supra relatis, præsertim ex Augustino 15. de Trinitate cap. 13. dicente: *Universas creaturas suas spirituales aut corporales, non quia sunt ideo novit Deus, sed ideo sunt, quia novit. Non enim nascitur quæ fuerat creaturus: quia ergo scivit creavit, non quia creavit scivit.* Ubi S. Augustinus apertè loquitur de scientia libera, & nullo modo de scientia simplicis intelligentiæ; loquitur enim de scientia, quâ Deus scit & cognoscit futura ut futura, & de ista ait, ideo res creatas esse futuras, vel existentes, quia Deus scit illas esse futuras, vel existentes, & non è contra: At scientiâ simplicis intelligentiæ, Deus non scit futura, neque existentia, sed solum possibile, de quibus falsum est dicere ipsa existere, quia sciuntur à Deo; scientia enim illa non causat omnia quæ cognoscit, aliàs causaret omnia possibile: Ergo de illa & de ejus objecto non potest dici esse futurum, quia scitur à Deo; sed solum de scientia libera, quæ visionis appellatur. Unde Gregorius Magnus articulo præcedenti citatus: *Quæ sunt, non ab æternitate ejus videntur, quia sunt; sed ideo sunt, quia videntur.*

62. Non est prætermittenda in signis D. Leonis Papæ autoritas, quæ apertè favet nostræ sententiæ. Ille enim serm. 16. de Passione cap. 2. sic habet: *Cum ergo omnia quæ in Christum Judaica admisit impietas, tantò ante prædicta sint, ut non tam de futuris quàm de præsentibus propheticus sit sermo contextus: quid aliud nobis, quàm sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo referatur, apud quem & discernenda jam dijudicata, & futura jam facta sunt? Cum enim & qualitas actionum nostrarum, & effectus omnium voluntatum scientia divina preveniat, quanto magis Deo nota sunt opera sua. Et rectè placuit quasi facta recoli, quæ non poterant omnino non fieri.* Ubi S. Leo aper-

E e